16

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE CVRATIONE LAVDABILI ET VITVPERABILI

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

A. d. Junij MDCCXXXIX.

PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR ET RESPONDENS

ANDREAS STANISLAVS LEPNER
FRAVMBVRGO VARMIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

CVRATIONE LAVDABILI ET VITVPERABILI

PROOEMIVM.

Diu multumque animus dubius ancepsque hæſit, quum de ſpecimine Academico, erudito orbi in lucem edendo, ſolicitus eſſem. Intuenti enim mihi tot diſſertationum, nec non voluminum medicorum, conſummatæ eruditionis pleniſſimorum, copiam, ſummaque induſtria & labore concinnatos libros, raroſque fœcundioris ingenii partus; ſimulque conſideranti virium mearum imbecillitatem; non potui non hæſitare, & de eventu ſollicitus fieri, quum viderem doctorum principes potiora ſcientiæ noſtræ capita tanto ſtudio pertractaſſe, ut vel nihil addendum reliquiſſent, vel ſiquid minus forte explicatum reſtaret, illud tanta caligine ac tot difficultatibus premeretur, quibus ſuperandis mihi non ſufficere videbar. Quæ cum mecum intimius meditarer,

rer, vidi & prævidi quod vix ac ne vix quidem evitare poſſim ne cramben ſæpius coctam proponerem, talemque materiam pro diſputatione eligerem, quæ non ſæpius jam a clare doctiſſimis viris ſatis ſuperque ventilata fuerit. Quæ cum ita ſint ſane novum quid afferre me poſſe non arbitror, & ſi poſſem non auderem. Quapropter ſine ulteriori ambiguitate apud me tandem ſtatui de curatione laudabili & vituperabili pauca pro viribus, divino adjuvante numine, diſſerere. Tantum vero abeſt ut graviſſimos viros, qui de hac materia aliquid præclare in lucem prodiderunt, effrenata temeritate perſtringere audeam; quippe quod a me longiſſime abſit: ut potius illorum veſtigia premam, illaque recto tramite proſequar, nec non in mentem eorum introſpicere, & quæ doctiſſime commentati ſunt in meos uſus ſuccincte convertere allaborem. Vt vero de curatione laudabili & vituperabili juſtum feratur judicium, tam Medicus quam Æger & Adſtantes, qui utpote triumviratus mutuas ſibi manus porrigunt, & indiſſolubili nexu cohærent, probe in conſiderationem atque expoſitionem erunt adhibendi. Innuit hoc parens medicinæ HIPPOCRATES *Sect. I. aphor. I.* his verbis: *Oportet autem ut non ſolum ſeipſum*

seipsum medicus præstet facientem ea quæ expedit, sed & ut recte se gerat ægrotus cum adstantibus. Vt autem ordine procedam, primo de Medico, utpote ratione cujus potissimum laudabilis aut vituperabilis existit curatio, hoc loco agendum erit. Quamquam vero ad illum pertinentia jam ab aliis satis superque proposita noui: nihilominus, cum ad me spectet ut materiam meam explanem, ne sicco pede illam transiisse videar; propterea sequentibus breviter huic expectationi satisfacere cupio.

§. I.

CVratio sane laudabilis erit illa, in qua Medicus omnia facit secundum scientiam & prudentiam Medicam, scilicet ut quis in ægro causas morbi recte colligat, beneque discernat, atque collectis caussis morbum per sua signa dijudicet, prompteque remedia congrua opponat, justo tempore, justa dosi & apta formula, eaque omnia secundum circumstantias ægroti, atque signa indicantia & contraindicantia. His omnibus bene observatis, etiamsi optatum finem vel prorsus non, vel non tam cito tuto ac jucunde assequatur Medicus, curationem laudabilem perfecit & vituperatione carere debet. Patet enim ex eo quod cum aliis conjecturalibus artibus habet commune, Medicum non semper posse fine suo qui est sanitatem præsentem tueri & amissam recuperare, potiri, sed modo ista omnia

adhibeat quæ ſcientia cauſarum, tam morborum quam medicamentorum ac prudens æſtimatio circumſtantiarum deſiderant, nihilominus erit illa laudabilis curatio: contra ea vero vituperabilis eſſet, etiamſi finem aſſequeretur, ſi non ex tali prudentia aut ſcientia fuiſſet inſtructa.

§. II.

Fit etiamnum ſæpius ut morbi quidam ſi de cætero corpus, adhuc in integritate & naturali bonitate principalium viſcerum ſit, ac fibrarum robore gaudeat, ſponte ſua abeant, ubi non eſt laudabilis curatio, ſi medicus multa operoſe molitur & ex corpore humano pharmaceuticam quaſi officinam efficit copia medicamentorum ingurgitatorum. Quare ad hoc attendendum, ſi laudabilis futura ſit curatio, ut tantum ſolum adhibeat Medicus, quantum a morbo, ſecundum circumſtantias, deſideratur, nec plus nec minus.

§. III.

Sunt autem non nunquam tales morbi, qui ex ſua natura faciunt, ut curatio optato eventu gaudere non poſſit, quod fere incurabiles ſint, ubi docta plus valet arte malum: hac in occaſione illud in quæſtionem venit, an nimirum curatio talium incurabilium a Medico ſuſcipi queat, & an non ratione illorum vituperandus ſit Medicus, ſi ad ejusmodi morbos vocatus compareat, aut ſi non ejusmodi morbos deprehenſos illico miſſos facit? Ego quidem, cum Excellentiſſimis viris, in ea opinione ſum quod humanitati conveniat, votis vel morientium obſequi: neque illico ſuam famam proſtituet Medicus, quod ad moribundum accedit, ſi non temere

mere quidquam de ſalute recuperanda pollicetur; quippe adhuc ſpes eſſe dicitur dum vivitur. Ipſe autem num otioſus ſpectator aderit? aut deſeret illico ægrum? nec hoc quidem conceſſero, licet enim proſtratæ ſunt vires, & nova ſubinde ingruat morborum vehementia, dum adhuc ſpiritum ducit neutiquam permittendum, ut ſe derelictum conqueratur æger, habet ſemper quod dirigat, ut dolores leniat, ut animum atque vires quomodocunque reficiat. Ita quidem mihi, qui amicitiam honeſtam Medicum inter & ægrum ſtatuo, videtur.

§. IV.

Neque ſolum modo morbus attendendus eſt in ferendo judicio de curatione laudabili & vituperabili, quando prorſus incurabilis eſt, ſed & iſto caſu, quando multis aliis complicatus eſt, aut quando latentes admodum habet cauſas vix perſcrutabiles. Etenim dum multis aliis morbis complicatus eſt, iisque contrariis, potiſſimum male ſe habentibus, neceſſe eſt longam atque adeo tædioſam evadere curationem; uti in valetudinariis contingit. Tum ſane Medicus culpa caret, ſi non tam felici ſucceſſu iſtiusmodi morbum expellit modo non oſtentabundus plus de ſuis facultatibus promiſerit, quam in illis eſt. Aliquando certis aliis circumſtantiis innexus eſt morbus, quæ longas moras curationi opponunt, e. g. ſi tempus fuerit ineptum, cum data apto tempore proſint, contrario autem medicamenta noceant: quare aliquando differenda curatio, citra notam Medici. Miſerrima autem eſt Medicorum conditio quando inquirere debent in latentes cauſas morborum; quippe quibus de illis conjectura compertis

tis vix creditur, nisi ubi mortuorum anatome easdem detegit, atque tales contingit aliquando plures easque contrarias quin curatu impossibiles adesse, quæ tamen Medicum in curatione minime reddent vituperabilem, etiamsi curatio vel non succedat prosus, vel difficulter ac post longum demum temporis intervallum.

§. V.

Quid autem de illis dicendum, qui de specificis vbique gloriantur, atque talia, citra subiectorum considerationem, promiscue pluribus, absque ulla variatione, adhibent. Acutissimus VALLESIVS in aureis libellis *de meth. medend.* de exacta curatione differens, inquit, si non jam homo, sed Angelus quispiam curandorum morborum curam gereret, qui, ut naturalium omnium gnarus, exacte mederetur, is certe nunquam, neque per annorum myriades, bis eidem medicamento manum admoveret, nulla nequespeciei neque intentionis, neque occasionis utendi mutatione facta. Variarent enim curationes ut ipsi ægrotantium status, hi vero non hominis universim, sed singulorum; singularium vero conditiones omnes nunquam in diversis eædem sunt. Quam ergo deficiant, pergit, ad exactæ naturæ curationes, id maxime indicat, quod ad eadem semper fere devolvimur, habentes medicamenta in numerato atque ex commentario omnia disponentes, id quod tanto magis quique facit, quanto methodi est minus gnarus. Nam qui hanc tenent, magis operantur pro re præsenti, scientes singularia neque in commentariis inveniri, neque in scholis dictari posse: hactenus Vallesius. Atque licet talis exacta proportio non nisi in idea reperiri possit, conan-

dum

dum tamen ut, quantum fieri queat, ad ipſam proxime accedatur, ſi laudabilis futura ſit curatio. Atque ſic vix ulli licebit per omnia eadem uti methodo. Nunquam enim quisquam ad curationem accedet, quin res, ætas, ſexus, ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Hoc ſi fecerit Medicus ut pro circumſtantiis ſemper immutet methodum in curatione hujus vel illius ſubjecti, non ex formula, tanquam lignum mobile omnia exſequens, ſed pro conditione ſubjecti ex idea, quam ipſe mente concepit de ſanitate reſtituenda aut conſervanda diſponens; tunc artifex exiſtit laudabilis, ſi, cæteris paribus, facili morbo & obſequente ægro, cito ſanat, aut ſi poſita ſunt obſtacula, quæ ipſius poteſtate non ſunt tollenda, ſi tantum agit, quantum per iſta obſtacula licet. Etenim & in bello iſta laudabilis eſt actio, non ſolum qua hoſtes profligantur, ſed & qua ipſorum inſultus prudenter & fortiter ſuſtinentur, pro conditione copiarum, loci, & reliquarum circumſtantiarum, quibus illis reſiſtitur. Ergo etiam laudandus Medicus, non ſolum quando morbos tollit, ſed & quando pro conditione ægri & aliarum circumſtantiarum, ipſos ita aggreditur aut ſuſtinet, quomodo ſcientia aut prudentia medica illos aggrediendos & ſuſtinendos dictitat.

§. VI.

Sed neceſſe eſt, (objiciet forſan aliquis) quædam ignorari, quædam omitti a Medico, atque ideo omnino nulla laudabilis exiſtet curatio. Quis enim & naturam

sive temperiem naturalem hominis cujusvis, & omnium in eo organorum conditiones, exactissime noverit, ex quibus tamen hominis istius aut partis affectæ actionem depravatam, dignitatem, situm, magnitudinem figuram connexionem, aliasque proprietates deberet perspicere? Atque si etiam nosset hæc omnia, quis externa omnia, a quibus homo necessario afficitur aut affectus est; tempus anni, regionem, constitutionem præsentem aut etiam præteritam noverit, quis animi motus, quis occupationes, denique quis omnes circumstantias, quæ ipsum, dum humanam vitam vivit, circumvallant, ex acte aut ad numerum tenet. Necesse est ergo quædam ignorari, ut adeo ratione insufficientis cognitionis causarum, exacta aut laudabilis curatio ratione Medici dari nequeat.

§. VII.

Quin & ratione inventionis remediorum quædam ignorari necesse est. Quis enim omnia, quorum usus est ad curationem, ita exacte examinata habet, ut de ipsorum virtutibus certus sit. Neque enim Medicus simul rhizotomum aget, aut Vngventarium, vel pharmacevtam: fidei horum committit, quod ista virtute collecta sint simplicia, quod ista virtute sint combinata, qua ipse adversus morbos vult pugnare? Atqui notum est, quam negligentes sint simplicium collectores & quod non tam curent virtutes aut vires, quam copiam, magnitudinem, & externam faciem. Atque multo etiam major fallacia est, & occasio fallendi, in compositis, quæ innumeris modis adulterari poterunt, quæque ipsos etiam fraudum artifices fallant.

§. VIII.

§. VIII.

Ita ergo ratione Medici necesse est quædam ignorari, ut neque horum ratione simpliciter laudabilis existat curatio, ut ut vel nihil ratione causarum ignoretur, nihil etiam medicamentorum, cum non omnia simul adhiberi liceat, sed successive unum post alterum ex methodo. Quis certus est, si quis istud aut illud remedium adhibet, annon aliud remedium adhibendum fuisset, aut an non istud primum debuisset esse, quod postremum, & contra. Vnde a morte ægri sæpissime adstantium quærelæ obstrepunt, quod si isto, quod si illo, quod si hoc usus fuisset, si venæsectio instituta fuisset, forsan adhuc viveret? atque inde sæpius altercationibus & convitiis illa finitur tragœdia, ne Medicis quidem a litigiis sibi invicem temperantibus, ne dum medicastris. Ita ergo neque ratione methodi aut applicati remedii ulla videtur relicta certitudo, ut vel hujus respectu non simpliciter laudabilis evaderet curatio. Ut non memorem, quam quidem CÆSALPINVS & ante ipsum IAC. ALKINDVS aliique veteres passim crucem fixerunt medicinæ cultoribus, de gradibus intemperiei in morbis cum gradibus facultatum in medicamentis conciliandis, ut justus fiat conflictus, e. g calori & siccitati &c. in quarto gradu opponendum esse medicamentum frigidum humidum in quarto gradu. Quis enim noverit quartum gradum caloris siccitatis &c. esse in hoc vel illo homine taliter affecto, quis istum tertium, secundum, aut primum, in hectico homine, quotus erit caloris aut siccitatis gradus, in eodem laborante ephemera, quotus erit aut quantus in laborante

 conti-

continua febre aut continente? & quotus erit gradus humidi aut frigidi in simplici ex hac regione, anni tempore &c. collecti? Hæc & plurima alia sufficienter docent, ex memoratis quam Pyrrhoniis aut scepticis facile sit artis evidentiam aut certitudinem pervertere, cum nulla per se sive simpliciter istas ob causas laudabilis futura videatur curatio.

§. IX.

Verum ut paucis multa comprehendam, videtur non omnibus omnis acrisia convenire: nam alias in λεπτολογίαν ars aut scientia degeneraret. Non enim requirit mathematicas demonstrationes medicina, sed abusus est, si quis ad istas Medicorum placita velit componere. Licet enim vero non omnes omnium rationes morborum in hoc vel illo subjecto teneamus, sufficit nos illas tenere, quæ in morbo præsente curando alicujus sunt momenti; e. g. hominem hunc habere sex digitos, aut esse musicum, nihil refert si ignorat Medicus ad febrim curandam ab illo accersitus; ne quidem quod olim crapulam toties edormivit; quod olim cum ancilla vicini altercatus fuerit, modo Medicus tenuerit, quomodo se gesserit æger paulo ante quam in febrim inciderit; atque num a motibus animi, aut ab erroribus in diæta acquisita fuerit; licet non iste motus animi in specie cognoscatur quo ad omnes circumstantias e. g. qua die, qua hora, quibus auxiliis, cum quo, quo loco, quas ob causas. Quid enim hoc ad Medicum? si e. g. ab esu salsamentorum aut piscium quis incidisset in febrim, nunquid momentum ad curationem conferet,

ret, ſi Medicus ſciat, quanti conſtiterint piſces, quam longi fuerint, & quis coquus illos paraverit.

§. X.

Non ergo de omnibus cauſis, ſed de neceſſariis & immediatis, ſolicitus eſt Medicus: alias enim magno cum conatu magnas nugas ageret. Quod ad medicamenta attinet, ſatis habet, ſi ſapore, odore aut colore illa diſtinguit: atque ut ne decipiatur, ſuis ſenſibus magis credat, quam aliorum, ipſe naſum, oculos, & linguam, admoveat, & dijudicet Quod ad gradus juſtos attinet, quo morbo opponendum ſit medicamentum, ex juvantibus & nocentibus illud dignoſcet practicus, in omnia intentus: Conferatur VALESIVS *L. 3. pag. 225.* Neque enim poteſt definitionibus ita comprehendi quod in hoc ſubjecto calidum in quarto gradu excedat & quod remedium excogitatum in quarto gradu ad hujus taliter affecti calorem frigidum ſit; ſed uſu & experientia, prudenti illud debet animadverti, e. g. ſit homo laborans febre continente cum ariditate oris, ſiti, vigiliis, deliriis, &c. ſi quis quocunque gradu talem calorem definiret, intenſum ſane eſſe quilibet novit; ſi aquam quis ipſi ſubminiſtraret ſucceſſive, inde vero cardialgiæ, vomitiones non remittente æſtu; patet frigidum non eſſe proportionatum calori hominis illius, ſi ptiſanam tepide vel emulſionem amygdalarum concedit bibendam, & abinde nulla alia ſymptomata accidere, quin ariditatem mitigari, ſitim imminui; patet iſtud frigidum eſſe proportionatum calori hominis illius: quanquam calorem nudum nunquam curamus ſed calorem cauſans. Atque quomodo in hac etiam juſta proportio (hoc

enim per gradus intelligitur) inveniatur, ut exemplo patescat; in homine tali febre correpto calorem quis auguraret, (augurio enim opus est in conjecturalibus) hariolaretur vel a cruditate primarum viarum quæ multum pituitæ massæ sanguineæ communicavit, atque adeo fecerit hinc inde obstrui arteriosas extremitates, ut hujus circulus in venas sit valde impeditus ac perturbatus. Isti itaque causæ caloris siquis opponeret remedia ex essentiis vel Tincturis herbarum vel radicum alexipharmacarum; videret autem hinc ab usu earum unius vel alterius diei tussiculam increbrescere, ariditatem adaugeri, sitim invalescere, colligit exinde causæ caloris non justum hoc esse remedium oppositum; quare sumit pulveres mere insipidos nullius excessu insignitos, ex Lap. percarum, cancro. Unicorn. fossili aut veri aut corn. cer. conchar. S. vel cum igne præparatis &c. quin acida ex tartaro, aut ex syrup. acetosit: citri, aut spirit. aut oleo vitrioli parva in quantitate uti concedit; videt quod symptomata morbi cessent, missa facit priora remedia, cum meliora causæ opposita invenit remedia, horum usum continuat, aliorum differt in tempus reconvalescentiæ minori dosi, pro digerendis vel eliminandis morbi reliquiis. Neque est quod quis inconstantiam Medico in tali casu exprobret, illam enim laudatus VALESIVS in *lib. citato* excusavit satis. Neque grave est tale periculum fieri in ægro, cum prudentia Medici illico novit corrigere omnia, utpote gnarus expugnandi morborum arcem, quam potest fieri opportunissime, sine incommodo aut noxa ægri. Etenim nunquam adhibet Medicus noxia ex intentione; veneficus

enim

enim foret, si qua tamen noxia vel suspicatur solum utendo talibus, illico missa facit, & circumspecte tutissima & commodissima eligit. Ex usu enim istiusmodi Essent. aut Tincturar, Alexipharmacarum utique etiam sanitati restituti sunt homines febre laborantes; sed commodius sæpe insipidis illis & acidis, addo etiam citius & tutius.

§. XI.

Quod ad istud autem attinet, cum non omnia medicamenta simul liceat adhibere, an Medico vitio dari queat, si quædam omiserit: hæc controversia anilium magis querularum atque altercationum erit, quales sunt nugivendulorum, aut cavillatorum esse solent, quam disquisitionis Medicinæ. Quid enim si cælum ruat interea, nunquid Medicus potest simul flare & sorbere? rectius magis curationem instituere dicendus est Medicus, qui ægrum non obruit medicamentorum copia, aut hæc subinde innovat, sed qui constanter uno vel altero utitur per morbi decursum, variata solum dosi, & observatis in usu circumstantiis, ut modo prorsus intermittat medicamenta, modo crebrius illa repetat, adhibitis aliis communioribus, potissimum diætam convenientem & quæ alvi ordinarium fluxum efficiunt. Qui arcana venditant & specifica magni faciunt, isti namque ut ostentationi suæ velificentur, jactitant se glorioso suo pulvere, suo arcano, cuius si quis fuisset usus, tunc futurum fuisse, ut ex faucibus mortis ereptus esset. Verum prostituta nunc est horum talium autoritas, cum & illis, qui talium pulverum aut arcanorum possessores sunt non æque omnes reconvalescant ægri, sed promiscue

ſcue libitina hos illos, quorumcunque curæ ſint comiſſi, ſuo cenſui adſcribat. Neque famæ temere fidendum, quod tam falſi ſit nuncia quam veri. Cujus memorabile exemplum ante annos quinquaginta reliquit, is, qui cum vivus omnes morbos potu thee curaſſe audiretur, fama per totam germaniam, quin per majorem partem Europæ celebris, mortuus magna oneratur invidia ac ſi potu thee magnos magnatibus, aliisque qui eo nimium utuntur, induxerit morbos, ut celebre hoc remedium indies vileſcat magis, quemadmodum quondam ejusdem famæ Mumia, cujus mania plerasque aulas CASPARI HOFFMANNI tempore invaſerat, aſt modo amplius vix æſtimatur.

§. XII.

Quomodo Medicus laudabilem vel vituperabilem poſſit reddere curationem, quantum brevitas permiſit, contemplati ſumus: nunc autem digredior ad ægrum & adſtantes, quomodo ratione illorum poſſit fieri laudabilis vel vituperabilis curatio. Protervitas enim vulgi, parum abfuit quin ridiculam feciſſet totam artem medicam, cum theatralibus ludis proſtituta paſſim Medicorum fama ludibrio habeatur. Sunt enim qui ubi medicaſtrorum & anicularum omnia ſcrinia prius excuſſerunt in medelam, tandem, ubi res deplorata eſt, medicam manum prenſant, ut verificetur illud commune dictum, *honora Medicum propter neceſſitatem.* Sunt qui nolunt ut Medicus ex ſuo conſilio curationem inſtituat, ſed ex ipſorum conſilio remedia conſignanda dictitant. Sunt denique qui volunt ut aſſiduo adſit Medicus a latere, ad nutum intentus, aut ſi Diis placet ad tempus

fal-

fallendum aut fabulas miſcendas, aut ad alia nugatia, & vilia etiamnum ac ſordida officia.

§. XIII.

Non poſſum non hic quoddam genus ægrorum, puta hypochondriacorum, a capite ad calcem deſcribere, quod continuis ægritudinibus plurimum moleſtat Medicum, ejusque curationem laudabilem alias, ſæpe vituperabilem efficit. Hoc namque hominum genus tot conſilia expoſcit, tot artificia eludit ac Medici patientiam incredibili modo exercet, ut ſi quis vel hanc ob cauſam Divinam artem omni laude dignam vituperabiliter detrectet, vitio ipſi vertendum vix videatur. Infelix iſta turba tot ferme morbis teneri ſibi videtur, quot membris corpus humanum inſtructum eſt. Multa ſunt, verum eſt, quibus miſeri divexantur, plurima autem & majora ſibi imaginantur ſolum, morbidæ ſuæ phantaſiæ, protrudendis ejusmodi monſtris aptiſſimæ, indulgentes nimium. Taceo jam tortores illorum perpetuos: cephalalgiam per intervalla, tinnitum aurium, fabros incudem tundentes, mentientes, copioſum muci proventum, anguſtias pectoris, tuſſitationes, ructus, flatus, obſtructiones alvi, dolores circa hypochondria, ſomnum interruptum, appetitum vagum, & proſtratum, gravitatem artuum, phantaſiæ læſionem, inſomnia terribilia, aliaque non pauca. Hoc ſolum dico, Medicum nondum exiſtere, etiamſi ad mentem PETRI CASTELLI Romani, (qui de optimo medico diſtincte commentatus eſt) formatus eſſet, qui iſtis omnibus, de quibus conqueruntur, curandis & quibus artificem onerant ferendis par ſit. Dantur qui ſe morbo Hypochondriaco obnoxios ſtre-

nue pernegant, scorbutum clamant, & quam frequentissime in ventriculum debachantur, emetica, cathartica, carminativa, postulantes, insontem acusant, traducunt, condemnant. Gens querula rimax, suspicax, incredula, contumax, immorigera: quotidie patiuntur nova, si illos aura minus favens afflat, hodie in aliqua corporis parte pungit, premit, lancinat, poscunt remedium: obtemperat Medicus, quid efficit? nihil, cras alibi, trahit, pulsat, rodit, urit: flagitant opem, fertur: quid inde? postero die de novo membrum calet, friget, torpet. Deficit consilium, inde vel per thermas aut acidulas vel per festiva miracula restitutionem sperant. Quidam sunt solitudinis amantes, & nihil nisi mœrent, timent, mortem loquntur, vitam miseram damnant, at sanitatem exoptant alii. Aliqui in conviciandis Medicis ac vilipendenda Medicina, tanquam insufficiente, inermi, incerta multum occupantur, & omne pene tempus terunt, aut Platonis rempublicam sibi erigendam sumunt: ut sexcentis aliis, quibus & stomachus & risus moveri possit, supersedeam. His sanguinis ventilationes placent, alii eas ceu mali originem, accusant, acerbiter invecti in Medicos hujus sæculi, ad thesaurum vitæ profundendum tam alacres.

§. XIV.

Sunt denique qui remediorum optionem faciunt ipsi, soli sapiunt: Medicos informant, & quod pessimum est gravissimo quovis morbo, cujus legerunt historiam, itidem se affectos esse credunt, hinc multi apoplexiam & mortem sibi præsagiunt; alii phthisin consummatam sentire asserunt: alius vero festiva sociorum persuasione

ne

ne inductus fuit, ut ex potu thee (cui non erat asuetus) se inebriatum tantum non juraret. Illos jam non attingo, qui aliquo nobiliorum viscerum usu se destitutos credunt, aut qui animalculorum stridentium, murmurantium, greges in intestinis suis stabulantes habere credunt. Hoc solum additurus, quod istud ægrorum genus praxin medicam, tot jam stipatam vituperiis, longe adhuc reddat vituperabiliorem, atque difficiliorem, dum Medicus finem suum exoptatum nunquam ex toto assequi valet.

§. XV.

Si autem Medicus isti effreni libidini ægroti obsecundat, dignus est, qui comicis dicteriis perstringatur acerbissime: si non isto fine id facit, ut eo rectius instituat curationem, atque fallat ægrum, quemadmodum deliri atque pueri fallendi sunt. Verum si æger compos mentis est, & rationibus potest convinci, tunc si Medicus adeo turpiter se dat, sophista est, qui non nisi gloriam aut lucrum illis captationibus benevolentiæ & assentationibus Gnathonicis quiritat; æger autem illud in memoriam revocet: Ne sutor ultra crepidam. Imo quod nec sutor, nec sartor, ne dum Medicus, patiatur quempiam sua opera abuti, aut sibi dari leges in illis quæ ipsius artis sunt.

§. XVI.

Vti enim vero Medicum oportet esse moratum, sic non minus & ægrum probum esse convenit. Præprimis decet ut convertat mentem ad illud, quod ipsum in manus Medici incidere fecit: ut animo revolvat qua perversa diæta abusus sit sanitate. Exinde, uti animus

ejus fert, Medicum accersat, non ut mercenarium, quicunque ipsi obvenerit, sed ex deliberato consilio, uti quem in amicorum numerum sit recepturus: non minus enim ars liberalis est, quæ animum curat, quam quæ corpus, neutra mercede ita devincitur quam benevolentia, plus sane amor in utraque potest, quam præmii grandis expectatio. Honeste itaque, secundum leges amicitiæ, Medicus debet accersi & dimitti, non uti vulgo fit a quo citra omnem honestatis rationem mercenarii quicunque obvii advocantur Medici. Confidentia quantum possit in ægrotantibus notum est, illam autem solidam honesta magis quam jucunda aut utilis suppeditat amicitia.

§. XVII.

Atque ita animatus æger recte suam operam ad commune opus conferet. Quo ad causarum inventionem quidem æquum est ut nihil celet Medicum, quæ hunc scire æquum est; quin fideliter recensebit, data a Medico occasione, quibus initiis cœperit, & quibus progressibus succreverit morbus, omnes circumstantias suggerens, ut recte de illis informetur Medicus. Morbos inprimis, ad quos proclivis per omnem ætatem fuerit, quibus potissimum perturbetur, magnitudinem morbi quoque recte æstimabit, edoctus a Medico aut experientia propria, non minus ac periculum, ut eo facilius curationis methodo obsequatur. Atque si Medicus judicet causam genuinam morbi non contentiose, aut sophistice super hac re cum ipso conferat, sed dialectice per sermones amicos ut in veritatis indagationem omnia cedant.

§. XVIII.

§. XVIII.

Quo ad medicamentorum inventionem & dispositionem ita candide aget cum Medico, ut recte indicet quibus revera male afficiatur remediis, aut remediorum formulis, non ex imaginatione, neque ex vi morbi, sed ex certa idiosyncrasia. De cætero facilis erit, ut si mutari non possint patienter ferat ingratos sapores, & ingratas formulas, ad finem unice intuitus, hocque mensurans, medicamenta grata an ingrata sint, modo illis optatam sanitatis metam attingere detur, insuper habeat. Indeque sine fuco indicabit euphoriam quo ad morbum & quo ad medicamenta, scilicet an ex medicamentis levamen senserit, aut damnum. Neque præscribet Medico, qua ipsum uti methodo conveniat, quibus remediis aggrediatur, & quibus conficiat curationem. Hoc quidem juste recensebit, quibus usus sit cum successu remediis, atque a quibus se male habuerit; cætera prudentiæ Medici sarta, tecta, relinquens.

§. XIX.

Atque ita ubi convenit inter ægrum & Medicum de causis & remediis morborum, hoc quo præscripta sunt ordine medicamenta sumet æger, atque usum & dosin continuabit sedulo, donec aliud Medicus suaserit. Imprimis faciet, ut nullus obex ponatur methodo medendi, sive alienis occupationibus, sive alienis adstantium adhortationibus. In aprico enim est, si æger circulos Medici turbat, ipsi non obsequens, in quibus obsequi fas est, quin omnia obnixe contra agens, inprimis in acutis & malignis, in quibus non licet bis peccare, errores ægroti ut plurimum fieri lethales:

præcipue si animi affectibus indulget, quibus cum morbo quædam est affinitas, e. g. si quis syncopen & cardialgias, patitur, cum æstu, vigiliis, melancholiis, meditationibus inhæret; aut solicitudines semper ad animum revocat, quomodo vel vitam sustentet, vel negotio satisfaciat, aut si, cui debiles vires, multum lucubrationibus arduis, aut aliis curis impendit, fugiens liberalem conversationem, qua ejus animus excitari possit; si quoque appetitui nimium indulget æger præsertim si reconvalescens statim se ingurgitat cibis. Et hæc sane vituperabilem reddunt curationem, cum recidiva semper plures exhauriat vires, si omnia medicamenta cum fastidio assumit, nec non animo despondet, aut promiscue hoc aut illud sumit præ festinatione, nec ad quantitatem, multo minus qualitatem respiciens, ad quos illud quadrat: multi fatum invenerunt suum. Hæc, & si qua alia ex superius dictis ratione ægri curationem laudabilem aut vituperabilem reddunt.

§. XX.

Super est nunc ut de Adstantibus paucula disseram. Sane plurimos ægros adstantium turba occidit, ad minimum efficit sæpe eorum curationem vituperabilem. Autores enim sunt ut vel sordide advocetur quilibet obvius Medicus, aut sophistice ex ambitione, quod huic vel illi bene cupiunt, aut apud hunc, vel illum propter alia negotia gratiam velint inire, vel ut sero nimis medicina paretur, dum suis domesticis, aut his quæ ipsis profuerunt, non habita ratione circumstantiarum & causarum, omnia prius tentant, dum interea vita cum viribus periclitatur, vel faciunt ut Medico multa celentur,

tur, & omnia contra fiant, per clandeſtina remedia, aut per contrariam diætam, culpam deinde in Medicum rejicientes. Ejusmodi adſtantes bene examinet Medicus, ne ludibrio habeatur, aut ars curandi vituperetur, proſtituaturque. Ita etiam cum illis eſt comparatum, ut ſi quæ ſecunda obvenerint, illa ſuæ vendicent induſtriæ, quæ adverſa, iſta omnia Medico aſſignent.

§. XXI.

Vt autem laudabilis evadat curatio, oportet idem munus adſtantium eſſe vicarium, quod ægrorum curam gerat inprimis ut ad diætam a Medico ordinatam reſpiciant, ne hæc medicamenta a Medico præſcripta corrumpat. Ideoque de hac ſane diæta oportet cum Medico conferre ſermones, & ad hujus leges dirigere omnem victum & vivendi rationem, non per ſedulitatem ineptam ægri inordinatis affectibus obſequendo.

§. XXII.

Coronidem itaque impono præſentibus diſquiſitionibus, cum hæc ſint, quæ pro anguſto harum paginarum ſpatio, & levi eruditionis meæ modulo, de curatione laudabili & vituperabili ſcribere mihi propoſui. Si forte in aliquibus a vero aberraſſe ſapientioribus viſus fuero, illos benevole rogatos cupio, velint primis meis levidenſibus conatibus veniam indulgere, & benigne ſupplere, ſicubi meum vacillans ingenium defeciſſe intellexerint. Faxit interea DEVS benigniſſimus, ut hæc & futura mea conamina in ſui gloriam, proximi ſalutem & propriam meam felicitatem cedant.

F I N I S.

NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

PRÆSES.

Qvisquis ad medendum vel aliquod vllum officium hominum ſocietati præſtandum accedit, merito is quidem quærit ac cogitat, quo pacto efficiat vt recte illud peragendo honeſti & periti ac fidelis viri laudem mereatur & reportet, aut ſaltem iuſta reprehenſione vel omnino vituperatione careat. Eſt illud officium, vt quisque ſe ſtudeat ita gerere, ne in ipſo fides, induſtria, peritia deſideretur: eſt etiam prudentiæ vt bona bonorum opinione ac fiducia ſubnixi progrediamur ad ampliores rei publicæ vtilitates procurandas. Enimuero quam ſit arduum homini ita elaborare vt nihil actionibus ſuis adhæreat, quod ipſe remotum optaret, aliique imperfectionis arguant; iam olim cognouit parens medicinæ rationalis HIPPOCRATES, qui vel illum medicum vehementer laudandum affirmat, qui quam minimum peccauerit, omninoque negat dari vllum, qui nulla in re deficiat. Recte TV facis, qui erudite oſtendis in diſſertatione tua quænam ſit laudabilis curatio, & quibus nominibus, in vituperationem iuſtam incurratur. Gratulor TIBI ſucceſſus ſtudiorum optatos, apprecorque vt eosdem in artis operibus habeas, magnaque laudabilium curationum ſerie perpetuam & immortalem gloriam conſequaris. Vale. a. d. IX. Iunii

cIↃ IↃcc XXXIX.